



**Commentariorvm, Ac Dispvationvm In Primam Partem
Sancti Thomæ Tomvs ...**

Complectens Quæstiones à XXVII. vsque ad LXIV. & à Quæstione CVI.
vsque ad CXIV.

Vázquez, Gabriel

Antverpiæ, 1620

Dispvt. CXX. An relationes diuinæ distinguantur ex natura rei ab essentia.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-81000](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-81000)

rat. 27. c. 1. quare ad perfectionem formalem vnius attributi, vt est in nostro conceptu, non pertinet aliud attributum.

Ex dictis inferitur, quomodo attributa dicantur esse de ratione essentiae diuinæ. Nam si ratio idem sit, quod natura ipsa, omnia sanè sint de ratione illius; imò nihil aliud sunt quam ipsa. Si vero ratio sumatur pro conceptu, attributa nō sunt de ratione illius, vt constat: eodem modo non sunt de definitione illius, prout definitio est actus intellectus distinguens vnum ab alio. Quare non video, quomodo verum sit id, quod ait Catenariensis, nempe, si vnum attributum perfectè definiendum est, cætera omnia in sua definitione debere concludi: si de definitione, quam intellectus viatorum assignat, loquamur; potius enim, vt ex toto hoc nostro opere constat, cum de singulis attributis disputamus, rationem vnius ab alio distinguere contendimus, vt singula perfectè intelligere possimus. Fatemur quidem, si de finitio esset per intellectum Beati videntis Deum, si- cuti est, vnum solum fore definitionem, qua essentia simul cum attributis simplicissimè cōprehenderetur; at Catenariensis de definitione loquitur attributorum, quatenus à nobis viatoribus definiuntur. An vero ex diuersitate attributorum sit in Deo aliqua compositio, dicemus disputat. 12 r. cap. 3. vbi differemus etiam de relatione, & essentia, vt vtrum componant, & constituent aliquo modo personam, an non.

DISPUTATIO CXX.

An relationes diuinæ distinguantur ex natura rei ab essentia.

Sententia Gilberti. cap. 1.

Quis contra Gilbertum in Concilio Remensi actum fuerit. cap. 2.

Essentiam diuinam ex natura rei differre à relatione, seu personam senserunt Scotus, Nominales, & Durandus, cap. 3.

Relationem, & essentiam nullo modo ex natura rei, sed sola cogitatione nostrā differre auctoritate probatur, c. 4.

Eadem opinio ratione confirmatur, cap. 5.

Solutio argumentorum Scoti & Durandi, cap. 6.

CAPUT I.

Sententia Gilberti.

Superest præcipua difficultas, quam Sanctus Doctor tractat in hoc artic. 2. vtrum suapte natura relationes diuinæ differant ab essentia diuinā, an solum per intellectum: nam vtrum spiratio actiua in Patre à paternitate distinguatur ex natura rei, an tantum per rationem, differendum est infra disputat. 138. quanquam autem proposita difficultatis enodatio ex superioribus non difficilè colligitur quia tamen aliqua sunt in ea notatione digna, idè recentitis etiam aliorum opinionibus, more solito nobis ex professo examinanda est; maioris vero perspicuitatis gratia ante omnia præmittenda est sententia Gilberti, & quid contra ipsam in Concilio Remensi fuerit definitum, explicandum. Hic Gilbertus Porretanus auctor sex principiorum apud Logicam Arist. fuit Episcopus Pictaviensis tempore Eugenij III. Papæ, & Conradij III. Imperatoris. Nam, & in Concilio Remensi ab Eugenio III. damnata fuit eius doctrina. Vazquez in 1. partem Tom. II.

Arina, & ipse à Bernardo de errore conuictus, vt infra patebit.

Erroris Gilberti meminerunt ex Scholasticis Alexan. & Bonauent. citati à nobis supra disputat. 114. cap. 1. & S. Thomas in hoc artic. 2. putaruntque illum in ea fuisse sententia, vt doceret, relationes esse quasi intrinsecus affixas, non inherentes diuinæ essentiae: sed nihil tale ille docuit. Neque vero de distinctione attributorum inter se, aut ab essentia quidquam male asseruit, vt notauimus disputat. 116. cap. 2. nam quamuis diceret, Deum non esse suam sapientiam, sed esse sapientem; nomine Dei, non naturam diuinam, sed personam intelligebat, à qua, sicut dicebat, differre essentiam, sic etiam putabat, differre attributa: imò inter, & attributa essentiam nullam distinctionem ex natura rei constituebant. Nam, vt scribit Otto Frlingensis Episcopus antiquus auctor, qui centum, & amplius annos post Bernardum claruit Imperio vacante anno 1260. libro de gestis Friderici Imperatoris, cuius ipse nepos fuit, cap. 56. & 57. Gilbertus dicebat, nomen, Deus, aliquando poni pro persona, aliquando pro natura, cum ponitur pro natura, concedebat ille Deum esse suam Deitatem, suam sapientiam, &c. Ex quo colligebamus disputat. illa 116. cap. 2. Gilbertum nullam inter essentiam, & attributa posuisse distinctionem ex natura rei. Cum vero, Deus, ponitur pro persona diuina, dicebat, non esse concedendum simpliciter Deum esse suam Deitatem, vel esse suam veritatem, nisi explicando statim, id est Deum, id est verum, & sic de alijs; cuius explicationis meminit Bernardo, serm. 80. in Cantica, & affirmat Eugenius, & Patribus Concilij Remensis, cuius acta sequenti cap. recitabimus. Cumque idem Gilbertus diceret, vt ex ijs, quæ referemus, patebit, Deum non esse essentiam suam, sed per suam essentiam; idè hanc propositionem, Deus est essentia diuina, concedendam tantum esse dicebat, si essentia diuina, esset in casu auferendi, non in casu nominandi: ac si diceret, Deus non est deitas, sed est deitate Deus: sicut etiam non est æternitas, sed æternitate æternus. Ideoque Bernardus in illo serm. 80. referens errorem Gilberti, & discipulorum eius, ait; Diuinitate (inquiunt) Deus est, sed diuinitas non est Deus. Quare quoties Bernardus contra ipsum probat, Deum esse ipsam deitatem, & sapientiam, & cætera attributa, vt in illo sermone, & lib. 5. de consideratione, accipit Deum pro persona, non pro natura diuina. Eodem modo auctor commentarij in librum Boethij de Trinitate apud B. dam 8. tom. colum. 113. cum meminit huius Concilij & erroris Gilberti, inquit, in eo sensu Gilbertum dixisse, Deus est deitate Deus, vel bonitate bonus, vt constructio esset transitiva, quæ sanè constructio locum videtur habere cum sola distinctione formali ex natura rei. Dicitur autem intransitiua constructio, cum nulla est distinctio; vt cum dicimus, filiatio est proprietas relationis, vel relatiua, hoc est, proprietas, quæ est ipsa relatio. Neque vero solam constructionem transitivam concedebat Gilbertus nostro modo concipiendi, sicut nos concedimus, cum dicimus paternitas est proprietas personæ, cum à persona ex natura rei non distinguatur; sed concedebat etiam suam constructionem ex natura rei. Auctorem vero illius commentarij, quem allegauimus,

non esse Bedam, vel inde manifestè constat, quia mentionem facit Concilij Remen. contra Gilbertum, quod multo post Bedam fuit celebratum tempore Bernardi.

Ratio quam id probat Gilbert. Otto.
Rationem vero Gilberti refert nobis Otto his verbis. Ne videlicet si indeterminate profiteretur divinitatem esse Deum, id est, quamlibet personam, cogeretur sine determinatione concedere, quidquid de qualibet personam, aut sicut personam filij, ita divinam essentiam indeterminate incarnatam, passam confiteretur, ex qua absurditate facile sensus hereticus iuxta Sabellium emergeret, & eadem res diceretur, & generans, & genita, & eadem se ipsam genuisse. Quod autem inter naturam, & personam non mathematica abstractione, sed Theologica consideratione quomodo divideret ratio, & ratione, & auctoritate probare nitebatur. Hactenus Otto, ex quo multa alia referre possem: hæc tamen facis videntur, ut ex illis, & mentem Gilberti colligamus, & quantum ab eius sententia Scoti opinio differat postea inferre possimus. Ratio ergo Gilberti hæc erat, si idem sunt omnino suapte natura persona, & natura, ergo si persona vnitur realiter naturæ humanæ illam sustinens: etiam natura divina eodem modo vnitur & humanam terminabit; quare sicut dicimus verbum passum, & mortuum, ipsam etiam deitatem mortuam, & passam dicemus. Rursus si persona generat & generatur, ergo & natura similiter; cum ergo hæc non sit concedenda, sequitur essentiam non esse personam, & contra.

Formatur ratio.
Docet igitur Gilbertus, sine determinatione concedendam non esse illam propositionem, *Deus est sapientia*, intelligit autem determinationem, quam explicavit Bernard. serm. illo 80. id est, *sapiens*, ut scilicet statim abstractum prædicatum de persona per concretum exponatur.

Eadem ratio Scotum movet, ut relationem ab essentia formaliter distinguat.
Sed circa errorem Gilberti observa duo: vnum est, eadem ratione Gilberti usum fuisse Scotum, ad probandum relationem, seu personam ex natura rei distingui ab essentia, ut inde colligamus, an eandem essentiam cum Gilberto sequatur. Ratio enim Scoti est: essentia divina communicatur realiter per generationem, relatio non communicatur realiter; de eodem autem omnino secundum rem non possunt contradictoria secundum rem verè enunciari, ergo opus est, ut ante intellectum ex natura rei essentia, & relatio distinguatur, quæ ratio eadem omnino est cum ratione Gilberti, si rectè cõferatur. Colligit enim Gilbertus essentiam non esse relationem, ne cogamur dicere de essentia, quæ de persona enunciamus, scilicet generari, & generare; ac si contrario cum Scoto diceretur, de essentia non dicimus, quod re ipsa generatur, sicut de persona, ergo persona & essentia non sunt idem omnino secundum rem.

Inte-essen- tiam, & relationem non posuit Gilbert distinctionem rei à re.
Alterum notandum est, Gilbertum non posuisse ita apertam distinctionem inter essentiam & personam, sicut est maxima distinctio, quæ inter duas res esse potest, sed dixisse, quomodo Theologica consideratione distingui, ita, ut non solum abstractione Mathematica, sed consideratione Theologica ratio nostra inter illa distinctionem operetur; quasi dicat non solum distingui nostro modo intelligendi: nam Mathematicus sola consideratione sua separat à materia ea, quæ verè in materia sunt: sic ergo solum ratione Mathematica distinguuntur, quæ solo nostro intellectu distincta cõcipiuntur, ratione vero Theo-

logica ea dixit differre, quæ secundum veram Theologiam inter se differunt, hoc est, quæ vera Theologia differre asserit; intelligit autem exactura rei, non sola consideratione; alioqui non esset aliud differre ratione Mathematica, & consideratione Theologica. Hæc sunt, quæ de Gilberti sententia ex prædicto doctore colligere potui, cuius apud alium neminem mentionem inveni, nec forsitan inueniri poterit; nam apud Bernardum nihil aliud est præter quam quod propositionem illam, quam Gilbertus negavit, Bernardus adstruere molitur.

Huius etiam erroris tacito nomine auctoritas meminit Anselm. lib. de Incarn. verbis, cap. 1. his verbis. Cum adhuc in Beci monasterio essem Abbas præfatum, præta est à quodam clerico in Francia talis assertio; Si in Deo (inquit) tres persone sunt vna tantum res, & non sunt tres res, vnaque que per se separatim, sunt tres angeli, aut tres anime, ita tamen, ut potentia, & voluntate omnino sint idem, ergo Pater, & Spiritus sanctus cum Filio est incarnatus. Hactenus Anselm. Sunt tamen recentiores aliqui Scholastici, qui hunc errorem aliter intellexerunt. Quidam putant, hunc clericum asseruisse tres Deos esse nature diuerse, ut defenderet vnum sine alio esse incarnatum. Alij putant, docuisse tres personas incarnatas, quia sunt unus Deus, & ideo vna sine alia non potest incarnari. Sed reuera alius fuit error prædicti clerici, quem postea sequutus est tempore Bernardi Gilbertus, ea enim assertionem, quam retulimus, ut ratione vtebatur, ad probandum tres personas non esse vnam rem, sicut contendebat Gilbertus, hoc est, non esse idem cum essentia, sed ab ea aliquo modo distingui; nec cogemur dicere, aut esse tres Deos, ut vnus sine alio posset incarnari; aut si essent idem essentia & potentia, ipse natura divina, & quidquid cum ea idem est, quolibet nimirum persona, incarnaretur: quia sane ratione vtebatur Gilbertus, ut supra videbimus. Idipsum colligitur ex ratione, quam refert Anselm. cap. 3. circa medium pro prædicto errore in hunc modum. *Quia si rationatur scum (nempe clericus ille) per vna, & eadem numero res Deus est, & ipsa eadem est pater & filius, cum filius sit incarnatus, quomodo non & pater est incarnatus? de vna quippe, & eadem re non est vna simul affirmatio, & eius negatio.* Quæ sane ratio eadem omnino est cum ratione Gilberti, imò cum ratione Scoti, quam cap. 3. adducimus, ut probet personam distingui ex natura rei ab essentia, ne duo contradictoria, nempe incarnari, & non incarnari, de eadem re prædicemus.

Neque obstat, quod dixerit clericus ille, duas personas debere esse duas res omnino diueras, sicut sunt duo Angeli, ne sequeretur illud absurdum, quasi senserit, debere esse diuerse etiam eandem, ad quod absurdum contendit Anselmus, ipsum deducere: nam cum ipse Anselmus in cap. 3. longè à medio dicat, forsitan clericum illum non posuisse similitudinem trium Angelorum; sed monachos, qui ad ipsum Anselmum scripserunt, ita de illo retulisse; existimo clericum illum noluisse tres asserere Deos, sed distinctionem ex natura rei inter essentiam & personam adstruere. Sic enim videbatur ipsi, sicut etiam Gilberto, sufficienter tolli difficultas illa, quare vna persona incarnata esset, & non alia, si non esset idem cum vna essentia. Fateor Anselmum non tamquam in hunc sensum Gilberti clericum illum

impugnasse, quia tantum per monachorum literas huius erroris certior factus est, ut ipse ait c. 1. & ita non plane illum intellexit. Ego tamen persuasum mihi habeo fuisse eundem errorem, quem Gilbertus aliquot post annos tempore Bernardi in eadem Francia publice docuit: est enim eadem omnino ratio utriusque ad hoc tendens, ne tres personae sint eadem omnino res communis, ut ita vnacarnetur persona sine alia, quod sane videbatur sufficienter defendi, si poneremus non tres naturas diuinas, sed vnā communem tribus, re tamen ab illis diuersam. Quare clericus ille non cogebatur, tres Deos asserere, sed solam distinctionem inter essentiam & personas. Refert deinde Anselmus, clericum illum reuocasse sententiam in Concilio Remensi, sub Reynaldo Archi-Episcopo: sed Concilium hoc fuit tempore Anselmi antiquius sanè, quam alterum etiam Remense sub Eugenio III. tempore Bernardi, sicut ipse Anselmus etiam Bernardo antiquior est.

CAPUT II.

Quid contra Gilbertum in Concilio Remensi actum fuerit.

Quod diuina natura, quae diuinitas dicitur, Deus non sit, sed forma, quae Deus est: quemadmodum humanitas homo non est, sed forma, quae est homo.

Quod cum Pater, & Filius, & Spiritus sanctus vnū esse dicuntur, non nisi vna diuinitate esse intelligantur, nec conuerti possit, ut vnus Deus, vel vna substantia, vel vnū aliquid Pater, & Filius, & Spiritus sanctus esse dicatur.

Quod tres personae tribus vnitatibus sint tria, & distinctae proprietates tribus, quae non sunt ipsae personae, sed sunt tres res aeternae, & ab inuicem à diuina substantia in numero differentes.

Quod diuina natura non sit incarnata.

Sequitur deinde in eodem Concilio.

Anno Domini 1148. Symbolum istud sub Eugenio III. Papa in Remensi Concilio firmatum est à Patribus Prouinciarum.

Credimus, & confitemur, simplicem naturam diuinitatis esse Deum, nec aliquo sensu Catholico posse negari, quin diuinitas sit Deus, & Deus diuinitas. Sic vbi vero dicit Domini sapientia, Dominum sapientia sapientem, magnitudine magnum, diuinitate Deum esse, & alia huiusmodi, credimus, non nisi ea sapientia, quae est ipse Deus, sapientem esse: non nisi magnitudinem, quae est ipse Deus, magnum esse: non nisi ea aeternitate, quae est ipse Deus, aeternum esse: non nisi ea vnitatem vnū, quae est ipse, non nisi ea diuinitate Deum, quae est ipse: id est, se ipso sapientem, magnum aeternum, vnū Deum.

Cum de tribus personis loquimur, Patre, & Filio, & Spiritui sancto, ipsas vnū Deum, vnā diuinam substantiam esse fatemur; & è conuerso, cum de vno Deo, vna diuina substantia loquimur, ipsam vnū Deum, vnā diuinam substantiam esse tres personas confitemur.

Credimus, & confitemur, solum Deum Patrem, & Filium, & Spiritum sanctum aeternum esse, nec aliquas omnino res, siue relationes, siue proprietates, siue singularitates, vel vnitates dicantur, vel alia huiusmodi, adesse Deo, quae sint ab aeterno, & non sint Deus.

Vazquez in I. partem To. II.

Remos coactum fuisse Concilium contra Gilbertum praesente Pontifice Eugenio III. & Cardinalibus, aliisque quamplurimis Episcopis, & Beato Bernardo Abbate, narrat Otto loco allegato. Eiusdem Concilij eodem loco celebrati meminuit idem Bernardus term. 80. in Cantica, aliquantulum à fine, cuius quidem acta contra Gilbertum placuit hic ad verbum referre, ex Codice quodam manu scripto illius Concilij misso ex Gallia ad Gregorium XIII. à Iacobo Amioti Episcopo Antihiodorensi, ex quo, dum Romae essem anno 1590. acta omnia contra Gilbertum transscripta obtinui à Domino Antonio Aquinate, viro non solum Illustri, sed etiam omni virtutum, & literarum genere ornatissimo, quae licet non habeantur in Codice Vaticano eiusdem Concilij, fides nihilominus eis integrè habenda est. Quid vero cauae fuerint, cur in Vaticano non habeantur infra dicemus.

Primum ergo haec erant dogmata, & assertiones Gilberti, quae in eodem Codice scriptae erant.

Otto.
Bernardus.

Affertiones
Gilberti.

10.
Rem. Con-
cilium.
Symbolum
diuinitatis
nem illa &
continua.

Credimus, & confitemur, ipsam diuinitatem, siue substantiam diuinam, siue naturam diuinam dicat, incarnatam esse, sed in filio.

Hactenus in eo codice Concilij Remensis scriptum erat contra propositiones Gilberti.

Otto.

Portò autem scribit Otto cap. illo 57. Bernardum priuatim cum Episcopis provinciarum conuenisse, & contra Gilbertum canones edidisse, qui meo iudicio in prædicto symbolo continentur: ideoque in titulo dicitur, à Patribus Provinciarum, hoc est, Episcopis compositum. Id quod ægrè tulerunt Cardinales, qui tunc cum Eugenio III. Remis aderant; quia ipsis inconsultis, quidquam Bernardus cum Episcopis ausus fuisset contra Gilbertum definire. Ipse tamen solita modestia se, & Episcopos coram Pontifice, & Cardinalibus excusauit, quod id fecissent, non, ut sine Cardinalium, & Pontificis consensu aliquid definirent, & ultimo iudicio decernerent; sed quia Gilbertus ab ipsis perierat, ut ipse Bernardus, cum quo disputauerat, & alij Episcopi Galliarum fidem suam explicarent. Nihilominus statuit Eugenius, ut symbolum illud, & canones non haberentur, ut regula fidei. Prætermisissimè vero tribus posterioribus, primum, in quo tota erat controversia, definiuit Eugenius cum Cardinalibus, & toto Concilio in hunc modum, ut scribit Otto cap. illo 57. *Ne aliqua ratio inter naturam, & personam diuideret, ne re Deus diuina essentia diceretur ex sensu ablatum tantum, sed etiam nominatum; hoc est, ne solum dicatur, pater Deitate est Deus, sed est ipsa deitas, ubi plane damnatur expositio illa Gilberti, Pater est sapientia, id est, sapiens, quia nolebat, hanc prædicationem concedere in casu nominandi, ut ostenderet, Deum esse per suam sapientiam sapientem, sed non ipsam sapientiam. Subiungit deinde idem Otto: Vnde adhuc à probatoribus eiusdem Episcopi (ut scilicet Gilberti) auditoribus tenetur, ne ratio ibi discernat in intelligendo, sed in dicendo. Et hæc forsitan fuit causa, ob quam in codice Vaticano solum canones, qui pertinent ad mores, nihil vero contra doctrinam Gilberti haberetur, quia nimis noluisset Pontifex totum illud symbolum haberi, ut regulam fidei: illam vero propositionem, quam definiuit, ponere non curarunt, qui codicem Vaticanum scripserunt, propterea, quod illa non fuerit præcipua causa cogendi Concilium; ibique cum Gilberto res omnes bene fuerint compositæ, cum ipse in Concilio suum retractauerit errorem.*

Definitio
Eugenii
contra
Gilbertum.

Otto.

Gilbert.

Cur illud
symbolum
non sit in
codice
Vaticano.

12.

Discipuli
Gilberti
postea
dixerunt,
essentia
diuina
distin-
gitur sola
ratione
à re-
lationibus,
Scotus.

Ex his omnibus rectè colligitur, quid fuerit contra Gilbertum definitum, scilicet, ita naturam diuinam esse omnino idem ex natura rei cum persona, ut inter eas non ratio Theologica, ut supra dicebamus, sed sola consideratio mathematica distinguat; quæ sanè definitio, an contra Scoti sententiam vim habeat, cap. 4. dicemus. Porro vnum est obseruandum circa verba Ottonis, quæ proximè retulimus; cum ait inter discipulos Gilberti magis probatos eam postea fuisse communem sententiam, ut ratio non distingueret inter personam, & naturam diuinam in intelligendo, sed in dicendo: id non esse ita accipiendum, ut existimet Otto. Discipulos Gilberti meliorem sententiam secutos dixisse, inter personam & naturam solam esse nominum differentiam, nullam vero, nec per intellectum in ipsa re cogitata, id

quod Nominales asseuerant de attributis essentia, ut disputat. 117. cap. 1. dictum est: sed solum dixisse, nullam esse distinctionem in re ipsa ante intellectum, quam vera ratio Theologica innuat, & ibi esse affirmat; sed eam distinctionem solum esse cogitatione mathematica, ut supra, cap. 1. dicebamus, quam idem dixerunt, esse solum dicendo, quod non attingat rem, ut citin se ipsa. Quia tamen nomina sunt ad exprimendam rem, ut est in mente & conceptu, idem omnino est, rationem illic distinguere in dicendo, ut discipuli Gilberti affirmabant, atque in ipso conceptu, ut distincta apprehendere ea, quæ, ut distincta nominamus.

CAPUT III.

Essentiam diuinam ex natura rei differre à relatione, siue persona, senserunt Scotus, Nominales, & Durandus.

Ex nostris Scholasticis non defuerunt, qui differrent inter essentiam, & relationem ac personam esse distinctionem ex natura rei, & ante intellectum. Fuit in primis in hac sententia Scotus in 1. d. 2. qua. 4. in ordine. §. *Sed huic refertur*, cuius mentem ex præfatio explicauimus disput. 116. cap. 4. tam de distinctione attributorum inter se, & ab essentia, quam essentia & relationis: ostendimusque ex sententia ipsius, hanc distinctionem esse ex natura rei ante intellectum. Probat vero eadem ratione, quæ utebatur Gilbertus, & cap. 1. huius disputationis retulimus; quia scilicet, impossibile est, esse idem omnino secundum rem, & alterum communicari secundum rem: essentia autem communicari secundum rem filio; & Spiritui sancto, aut generatione, aut inspiratione: relatio vero non communicatur, ergo non possunt esse idem omnino secundum rem.

Consentiunt Gabr. in 1. d. 2. q. 1. art. 1. notatio-
ne 3. & 4. & art. 3. dub. 3. Ocam q. 1. Martil. in 1. d. 2.
art. 2. concl. 4. & in eo solum ab Scoto differant,
quia ille existimauit, eandem distinctionem forma-
lem ex natura rei esse inter attributa & essen-
tiam & inuicem inter ipsa attributa: hi vero, soli
inter naturam diuinam & relationes. Præterea, illa
non solum in Deo, sed in rebus enim creatis puta-
uit, esse hanc distinctionem; hi vero solum in Deo
hac peculiari ratione eam concedunt: nam quan-
do aliquid idem est cum duobus realiter distinctis,
necessario distingui debet ab vnoquoque, illorum
formaliter ex natura rei, quia non est æque idem
cum vnoquoque; in Deo autem sic habent essen-
tia & relationes, ergo distinguuntur formaliter
ex natura rei. Tamque difficile existimant Gab. Ocam
& Martil. hoc genus distinctionis, quam ipsam
Trinitatis mysterium, nec in alia mundi parte re-
periri. Hæc etiam ratio si rectè consideretur, non
maior propositio non potest alio modo proba-
ri, quam illo, quo vtuntur Scotus & Gilbertus,
qui

quia scilicet contradictoria re ipsa de illis prædicantur.

Denique cum prædictis facit Durandus in 1. d. 33. qu. 1. nisi quod distinctionem inter essentiam, & relationem non solum dicit esse ex natura rei, verum etiam non esse mediam inter realem & rationis: appellat ergo eam realem, non qualemcunque, sed qualis est inter rem & modum rei. Primo quidem nullam esse mediam distinctionem inter realem & rationis, probat ipse ratione, quam ex eodem retulimus supra disp. 116. cap. 4. in fine. Secundo, eam distinctionem non esse realem, qualis est inter rem & rem, sic deducit: quia alioqui sequeretur relationes in Deo esse, quid creatum, aut plures esse Deos. Tercio distinctionem prædictam esse ante intellectum confirmat eadem ratione, qua Scotus, & Nominales vsi sunt: quia scilicet essentia diuina formaliter, & ex natura rei est in aliquo, in quo non est relatio: est enim essentia in patre, in quo non est filio: & est in filio in quo non est paternitas; est etiam in Spiritu sancto, in quo non est paternitas, & filio: ergo distinguitur à singulis realiter, seu ex natura rei, quod apud eodem est.

Demum quomodo differant ex natura rei, non vt res & res, sed vt res & modus rei, probat ex Damasc. 1. de fide cap. 9. vbi sic ait. *Quo fit, vt omnia, que pater habet, filij sint, hoc vno excepto, quod ingenitus non est: quia quidem vox nec natura discrimen, nec dignitatem, atque auctoritatem, sed existentie modum indicat.* Et cap. 11. *In solis autem proprietatibus, atque quantum ad causam, & ea, que à causa proficiuntur, ac persona perfectionem, hoc est, existentiam modum, discrimen animaduertimus.* Et cap. 13. *Quæ quidem scilicet proprietates, non eiusmodi sunt, vt naturas declarant, sed mutuum personarum inter se affectionem, atque existendi modum.* Quibus locis proprietates appellat Damasc. modos existendi nature: si ergo differunt ex natura rei ab essentia vt probatum est, differentia erit, non sicut inter rem & rem sed sicut inter rem & modum rei. Hoc autem genus distinctionis ita explicat: quamuis modus rei ante omnem intellectum diuersam essentiam & naturam habeat à re ipsa, cuius est modus, eius tamen essentia hæc est, vt sit aliter, non sicut accedens, nempe qualitas, aut quantitas, aut alia forma accidentaria completa: hæc namque formæ habent naturam absolutam omnino, & minime pendentem à subiecto: hoc est, eorum natura integra, & salua esse, & manere potest absque eo, quod à subiecto pendeant, vt videmus in accidentibus altaris. Quod si nunc cetera accidentia actum pendunt à subiecto, & sunt aliter, hoc non est de essentia eorum, sed illam tantum comitatur, at modus rei ita pender ab eo, cuius est, vt essentia, & natura sua hoc illi directe conueniat, ac proinde sine re, cuius est modus, nec actu esse, nec intelligi possit: talis est contactus duorum corporum, qui sine corporibus nec esse, nec intelligi potest, ille namque non est res, nec existentia aliqua, sed modus existendi corporum. Sic etiam se habet modus, quem habent accidentia separata à subiecto, quo etiam dicuntur esse per se.

CAPVT IV.

Relationem, & essentiam nullo modo ex natura rei, sed sola cogitatione nostra differere auctoritate probatur.

EGo vero idem de relationibus, & essentia quod de attributis ipsis, & essentia dicendum arbitror: nimirum nullo modo, vel minimo genere distinctionis ex natura rei ante intellectum, sed sola nostra cogitatione distingui. Quam sententiam tradiderunt S. Th. Caiet. & recentiores Theologi in hoc art. 1. Henricus quod. 5. q. 6. Bonau. in 1. d. 33. artic. 2. qu. 1. Ricar. a. 2. qu. 1. Greg. qu. 1. art. 2. Capreol. qu. 1. art. 1. conc. 1. 2. 3. & 4. Canar. in hunc art. dispu. 3. p. 2. in huius vero sententiæ confirmationem duo nobis ostendenda sunt: vnum est, relationem, & essentiam in Deo non distingui ex natura rei, sed cogitatione nostra: alterum est, quo modo distinguantur per operationem nostri intellectus, prius in hoc cap. posterius vero disp. sequenti demonstrabitur. An vero aliquid habeat probabilitatis opinio Scoti, aliorum esto iudicium: nos in hoc c. ea solum proferemus, quæ nostram sententiam confirmare, & Scoti rescilire videbuntur. In primis igitur sunt contra Scotum testimonia omnia à nobis allegata disp. 116. cap. 4. quibus in vniuersam probatur, in Deo nihil distingui ex natura rei præter personas inter se. Facit etiam Bern. qui de attributis, & præsertim de relatione & essentia idem docet propter Dei summam simplicitatem, cuius testimonia non est necesse repetere. Nunc autem de relatione & essentia probatur 1. auctoritate Damasc. 1. de fide cap. 11. vbi sic ait: *vnaqueque enim ipsarum (scilicet personarum) nihilominus erga aliam se habet, quam ipsa secum: hoc est vnum, idemque omnino sunt Pater, Filius & Spiritus S. nisi quod pater genitus non est filius genitus est, Spiritus processit: quod autem in ea (scilicet essentia) dictum est, cogitatione sola distinguitur.* Cum dicit, *sola cogitatione distinguitur*, excludit plane omnem aliam distinctionem ex natura rei, cum vero ait, *in ea, hoc est, essentia*, non solum ostendit attributa illius, quæ antea enumerauerat, ab ea non distingui, verum etiam communem essentiam, potentiam, bonitatem aliaque ibi enumerata ita esse eandem in tribus personis, vt ab eis non differant nisi sola cogitatione.

Secundo confirmatur ex Conc. Florent. sess. 18. post medium in disp. inter Ioan. & Marc. vbi Ioan. ex Ecclesia latina sic ait. *Diuina substantia, & personæ quidem sunt idem, secundum autem modum intellectus nostra differre videntur.* Cui sententiæ Marcus pro Ecclesia Græca coram toto Conc. consensit. Andreas etiam præsul Colof. in eodem Conc. sess. 17. volens conciliare disp. eorundem Ioan. & Marci, sic dixit: *Plurimum refert simpliciter proferre diuinam substantiam: vel patris, filijque substantiam, haud quæquam tamen putare debemus, vt re differant, quandoquidem sola ratione, aut intelligentia differre creduntur, &c.* si ergo essentia Patris, aut essentia Filij sola ratione differt ab essentia absolute sumpta, sequitur sola etiam ratione differre relationem ab essentia simpliciter accepta, nam alioqui, & essentia Patris, quæ relationem addit, non sola ratione differt ab essentia simpliciter. Et quod caput est in eodem Conc. sess. vlt. in quadam confessione

16.

Thom.
Caiet.
Henric.
Bonauent.
Ricar.
Gregor.
Capreol.
Canari.

Bernat.

Damasc.

17.

Ioann.

Marcus.
And. car.

18.

F. 4

fidei, quæ à latin. ad Græcos missa est, sic dicitur: Porro autem, ne identitatem, coniunctionemque diuine substantiæ distribuere, ac ipsam substantiam re, non autem sola ratione ab hypostasis & personis differre credere videamur, &c. ubi putat Concilium & tota pars latinorum incommodum, existimare inter personam & essentiam distinctionem maiorem esse, quam rationis, & intellectus.

Colligitur idem ap. r. ex Remensi Eugenio.

Tertio plurimum valet contra Scotum celebris definitio Conc. Remen. quam c. 2. retulimus: primo, quia si, vt definiuit Eugenius inter relationem & essentiam ratio non debet distinguere, efficitur, vt formaliter ex natura rei non distinguantur: cum enim Eugenius definiuit, ne ratio distinguat, intellexit secundum phrasim Gilberti, quam c. 1. commemorauimus, rationem & considerationem non mathematicam, sed Theologicam, quæ est ex natura rei, & ante nostram considerationem, vt ibidem explicauimus. Secundo quia si damnatur à Bernardo modus ille loquendi Gilb. *Pater est deitas, id est, Deus: est bonitas, id est, bonus*, eo quod putaret Gilb. necessarium, addere explicationem illam, *id est, Deus, id est, bonus*, vt propositio esset vera, displiceret etiam ei distinctio, quam inter personam & essentiam diuinam Scotus constituit. Et enim ex hac Scoti sententia eodem modo sequitur, addendam esse eandem explicationem, *id est, Deus, vt prædicta propositio, Pater est Deitas, formaliter sit vera*: nam iuxta sententiam Scoti Pater ex natura rei potius est Deus, quam Deitas, siquidem à deitate differt ex natura rei, & formaliter, & propositio illa sine explicatione in sensu formali, & ex natura rei non est vera. Tertio si magis probati discipuli Gilberti post Concilij definitionem dicebant, inter relationem, seu personam, & essentiam non esse distinctionem in intelligendo, sed in nominando, vt cap. 2. explicauimus efficitur, solo nostro modo cognoscendi, qui varijs vtitur nominibus, non consideratione Theologica, quæ tendat ad rem ipsam, vt est in se, aliquam ibi posse distinctionem inueniri.

19.

Durandi sententia refutatur ex Conc. Lateranen.

Ioachim, Mag.

Porro autem contra Durandi sententiam allegari potest decretum Concilii Later. sub Innoc. 3. quod refertur in ca. *Damnatus* de summa Trinitate & fide catholica. Damnatur enim in eo c. sententia Ioachimi Abbatis Monasterij Florentini, qui Magistro sententiarum imputauit errorem, quod asseruisset in Deo quaternitatem esse, tres scilicet personas realiter distinctas ab vna essentia id quod inde colligebat Ioachim, quia Magister dicebat, in diuinis pater generat, sed essentia non generat, Filius generatur, sed essentia non generatur, nam si essentia non generat, nec generatur: & Pater generat, & Filius generatur, atque essentia diuina est res quædam, sequitur esse quædam rem, quæ non est Pater, nec Filius, & ita erit quaternitas. Ipse ergo Ioachim, vt hoc absurdum euitaret, in aliud non minus incidit. Dicebat enim, in Deo esse tres personas non vnitatem essentia, sed vnitatem collectiuam, ex quo tres Deos videbatur asserere, vtrumque autem ibidem damnatur, & quod ipse assererat, & quod Magister vindicatur. Scotus autem, Durandus, & qui asserunt distinguere ex natura rei relationes ab essentia, quantumuis addant, non differre sicut rem & rem, sed sicut duas formales rationes, vt ait Scotus, aut sicut rem & modum rei, vt inquit Durandus, neque ut

20.

pluralitatem & numerum inter relationem & personam ex natura rei negare, cum distinctionem adstruant. Quod si realis pluralitas conceditur, incidimus in aliquam quaternitatem, essentia nimirum & trium personarum, sicut Bernardus libro 5. de consideratione ante medium contra Gilbertum inferre nititur. Nam postquam adduxit testimonium illud, Boeth. lib. de Trinitate, *Hoc vere vnum, in quo nullus est numerus*, quod supra explicauimus disp. 116. c. 4. probat, in Deo esse solum numerum personarum, non naturæ: subiungit vero deinde, *Ant si diuidere quis conetur vel personas à substantia, vel proprietates à personis, nescit, quomodo Trinitas se profiteri cultorem possit, qui in tantam rerum numerositatem excesserit*. Si ergo Scotus, Durandus, & alij distinguunt ex natura rei proprietates à natura: sequitur, eos plusquam ternarium personarum introducere, & vere quaternarium ex natura rei concedere.

Sed dices, Bernardus solum damnauit numerositatem illam ultra ternarium personarum, si esset rerum: at prædicti doctores non dicunt esse quatuor res, sed quatuor, aut rationes formales, vt ait Scotus, aut tres modos reales, & vnam rem, vt loquitur Durandus. Sed certe Bernardus nihil curaret, vtrum hoc, an illo modo numerus introduceretur, dum tamen esset numerus in re ipsa ante intellectum, & non solo nomine, aut intellectu: si autem plures essent rationes ex natura rei, verus numerus esset præter ternarium personarum. At ipse Bernardus adeo contendit defendere Dei vnitatem in essentia, & Trinitatem solum in personis sine quaternitate, vt multo post in eodem libro, cum dixisset, Deum esse longitudinem, latitudinem, altitudinem, profunditatem quibus videbatur quaternitatem, quam antea impugnaverat, introducere, excusauerit, quod dixerat, non quidem dicendo, illas esse quatuor rationes formales, & non quatuor res: sed his verbis, *Voces diuersæ, semita multa, sed vnam per ea significatur*. De quo testimonio multa quæ huic nostro instituto seruiunt, diximus disputatione 118. c. 2. & retro in eodem lib. 5. contra Gilbertum sic ait: *Quaternitas orbem determinat, non signat deitatem. Deus Trinitas est, Deus trium singula personarum, si quaternitatem adijcere placeat, interim ego hanc, quæ Deus non est, persuasi mihi minime adorandum. Dicit autem Bernardus, Quæ Deus non est, quia Gilbertus dicebat, Deum sumptum pro persona, non esse suam deitatem; ergo colligit introduci quaternitatem, in qua deitatem illam, quæ Deus non est, inquit Bernardus, non esse adorandam, quia Deus non est. Gilbertus vero quaternitatem ita solum introducebat, vt ibi ratio Theologica quoquoque modo distingueret, vt cap. 1. ex Ortone retulimus. Quare qui aliquam distinctionem ex natura rei concederet, etiam si eam appellaret rei & mundi, vel rationum formalium, quaternitatem, quam Bernardus in Gilberto impugnat, introduceret, cum aliquo modo ratio Theologica ibi distingueret.*

CAPVT V.

Eadem opinio ratione confirmatur.

Postremo eisdem rationibus impugnari potest sententia Scoti & durandi, quibus supra disputat. 116. cap. 4. Scoti etiam opinionem de distinctione attributorum ex natura rei confutamus.

mus, quaque per summa capita referre, satis erit. Prima ratio est Bernardi serm. 80. in cantica, qua usus fuit contra Gilbertum, quia si Deus non est sua essentia, & sapientia sequitur, aut illam esse creaturam, aut esse plures Deos, &c. Secunda ratio, quia Scoti sententia derogat plane simplicitati, & maximæ unitati Dei, cum inter essentiam & relationem aliquem numerum concedit. Ex quo etiam sequitur, ex illis compositionem aliquam fieri. Quod vero de attributis respondeat Scotus, tam vidimus cap. illo 4. & impugnamus, idemque de relationibus, & essentia respondet, quare & eodem modo eius responsum refelli debet. Nunc autem quid dicat Durandus, qui peculiari modo defendit hanc distinctionem quam inter attributa, & essentiam non concedit, videamus. Respondet ergo, nullam ex relatione & essentia fieri compositionem, etiam si ex natura rei distinguantur, quia modus non componit cum re, cuius est modus, relatio autem est modus essentia, sed ea, quæ aliud componunt, debent esse res, & inuicem differre, sicut res, quia illud, quod cum alio componit, debet habere essentiam ad se, omnino diuersam ab eo, cum quo componit, modus autem licet differat à re, cuius est, non tamen habet essentiam ad se, quia tota eius natura est esse alterius. Hoc tamen responsum frivolum est, assumit enim Durandus, id quod probare debebat, & inferre: nempe modum, qui realiter differt à re; cuius est, ideo non componere cum illa, quia non habet essentiam ad se, sed ad aliud: quod sicut gratis asseritur, sic etiam absque ulla ratione rejicitur. Sed adhuc vngere possumus Durandum hoc modo, si reuera modus realiter differt à re, cuius est, & diuersam naturam, & rationem formalem habet ab ea, sit ut iam ibi sit numerus aliquis: ac proinde pluralitas, seu duplicitas; hanc vero nos merito appellamus compositionem, quæ opponitur unitati, & simplicitati, ut manifestum est, Dei autem unitati, & simplicitati, derogat quævis multitudo huiusmodi, aut duplicitas, ut ex disputatione 116, cap. 4. constat.

Denique contra Scotum, qui putat, hanc distinctionem esse mediam inter realem & rationis, ut possumus rationem Durandi, quam adduximus, c. illo 4. ea tamen nihil contra Durandum probat, cum plane doceat, inter essentiam & relationem esse realem distinctionem.

CAPVT VI.

Solutio Argumentorum Scoti, & Durandi.

V Nica præcipua ratio est, qua nititur Scoti & aliorum sententia, eademque usum fuisse Gilbertum, notauimus cap. 1. & 3. huius disputationis. Ea vero desumpta est ex varijs, & contrarijs prædicationibus, quæ fiunt de essentia, & de relatione, ut quod essentia re ipsa communicetur, relatio non communicetur, etc. Ad hanc vero respondet Caietanus infra q. 30. art. 1. essentiam diuinam non tantum esse communicabilem, nec tantum incommunicabilem, sed utrumque eminenter absque ulla compositione continere sub eadem adæquata ratione propter suam infinitatem. Quo fit, inquit ille, ut pater intelligat essentiam, & relationem, non ut duo obiecta formalia ex natura rei; sed ut vnum formaliter, &

multa virtute: ac si dicat, essentiam diuinam, & relationem ex natura rei non esse inuicem actu distinctas, sed ita se habere, ut per intellectum actu possint distingui.

Verum hæc solutio non satisfacit argumento, quia non reddit rationem, obquam cum adeo diuersa, & contradictoria de essentia, & relatione prædicentur, cum illo additamento, ex natura rei: nihilominus actu non distinguantur: sed tantum virtute. Nam qui fieri potest, ut in re simplicissima inueniamus aliquid, quod non operatione intellectus, sed re ipsa communicetur, & aliquid, quod eodem modo, scilicet re ipsa non communicetur? Alij respondent, de eadem re non enunciarì vere duo contradictoria, nempe communicari & non communicari: quia affirmas propositio est vera, nempe res, quæ est essentia communicatur, & negans est falsa, nempe res, quæ est essentia, non communicatur, quia negatio illa denotat rem illam nullo modo communicari, neque quatenus essentia, neque quatenus relatio est, eo quod negatio omnia neget in vniuersum: neque enim assumit illam propositionem, de eadem re non possunt contradictoria enunciarì: sed argumentum sic procedit, impossibile est, aliqua duo, de quibus contradictoria enuntiantur cum additamento illo, secundum rem, esse realiter idem talia enuntiantur de essentia, & relatione, nempe communicari secundum rem, & non communicari secundum rem, ergo non possunt esse idem secundum rem. Resp. deinde Canariensis. diff. in

hunc art. p. 3. solam distinctionem rationis inter essentiam & relationem satis esse, ut contradictoria de ipsis vere enuntiemus, siue illa distinctio actu sit facta ab intellectu, siue solum fieri possit. Ego quidem cum hoc auctore existimo, solam distinctionem rationis sufficere, ut tam diuersa, imo contradictoria de essentia & relatione prædicentur, non solum simpliciter, sed etiam cum illo additamento, *Ex natura rei*, quæ multum nos

virgent Scotus, & authores prioris sententiæ: hoc tamen non satis explanauit ipse sed antequam illud explicemus, præmittendum est, nunquā nos contradictoria enuntiare de essentia & relatione, cum sola distinctione rationis, quæ inter illa fieri potest, sed actu adhibita distinctione. Nam cum utamur varijs nominibus essentia, & relationis, & nomina in nobis respondeant conceptibus, non possumus non ut distincta concipere, quæ ut distincta etiam nominamus, sic enim & nostros conceptus exprimimus, ut sunt in nobis, & alijs viatoribus tradimus intelligendos. Eadem ratione diximus disputat. 115. cap. 2. nullam esse actu exurinfecam denominationem in rebus nisi præmissa operatione intellectus concipientis in ea relationem sicut ipso nomine significatur. Quare non debuit Canariensis asserere, Ob solam distinctionem rationis, quæ potest esse, & si actu facta non sit, contradictoria posse de illis actu enunciarì.

Hoc supposito, distinctionem solam rationis satis esse, ut contradictoria de eadem re simplicissima à nobis prædicentur, sic ostendo. Cum res ipse à nobis, alijs viatoribus significari nequeant, nisi nominibus à nobis etiam impositis, & nomina de Deo ideo diuersa sint, quia diuersos de Deo habemus conceptus, nec ipsum alio modo intel-

Solutio Caietani non satisfacta.

Aliorum solutio.

Canariensis.

Vera Canariensis solutio explicat iudicium.

Ad illa rationis distinctio necessaria est, ut opposita de eadem re prædicentur.

Eam vero ad id sufficere ostenditur.

An relatio sic differat ab essentia Dei, ut illam in suo conceptu nihilominus includat.

Quid sentiat Henricus, & Canariensis, cap. 1.

Essentiam diuinam, & relationem ita ratione differre, ut conceptus essentia non includatur in conceptu relationis, verior opinio fert, cap. 2.

Diluuntur argumenta prioris opinionis, cap. 3.

Conceptum relationis non pertinere ad conceptum essentia, cap. 4.

Magis distinguitur essentia à relatione, & attribuitur, quam relatio à persona, cap. 5.

CAPVT I.

Quid sentiant Henricus, & Canariensis.

P Rætermis sententia Scoti, & aliorum, qui affirmant relationes distinguere ab essentia ex natura rei, qui consequenter asserere debent, essentiam non includi formaliter in conceptu relationis, cum illis tantum futura est nobis controuersia, qui docent, solum distinguere per intellectum, an scilicet ita distinguantur, ut relatio nihilominus in suo conceptu includat essentiam, sic enim posse distinguere aliqua per intellectum, dubium non est. Henricus igitur quolibet 4. q. 6. asserit, relationem ita ab essentia differre, ut illam in suo etiam conceptu essentialiter includat. In cuius rei explicationem notat, bifariam posse aliquid ratione distinguere, vno modo secundum intentionem (sic ipse loquitur) quando videlicet vnum non includit aliud, sicut genus & differentia, quorum alterum est extra rationem, & conceptum alterius, altero modo, quando conceptus vnus includit conceptum alterius, sed ad id aliquid peculiare, ut species & genus: hoc ergo posteriori modo, inquit relationem, & essentiam in Deo sola ratione differre.

Eandem sententiam fecit et Canariensis in hunc art. disp. 3. qui affirmat, ita intrinsece includi conceptum essentia in conceptu paternitatis, sicut ens in conceptu cuiusvis prædicamenti, quod supra rationem entis commune, addit particularem, qua ab alijs distinguitur; ita ut in ea particulari ipsa etiam ratio entis contineatur. Id vero probatur primo ratione Henrici; Nulla ratio fert aliquid ad aliud, nisi ratione alicuius absoluti, ratione cuius relatio inest subiecto, ita ut relatio nullam addat realitatem supra illud absolutum: relatio autem diuina refert vnā personā ad illam ergo ratione alicuius absoluti, ex quo habet rationem, nihil autem est in Deo absolutum præter essentiam, ergo relatio illam includit in suo conceptu.

Deinde probatur. Cum relatio diuina sit quoddam ens, & omne ens recte diuidatur per hoc quod est esse à se, vel ab alio sequitur, illam secundum rationem suam formalem debere esse à se, vel ab alio si intelligeretur esse ab alio, esset creatura, quod est absurdum, si vero intelligeretur esse à se, esset deitas, cuius propria ratio est, nulla habere causam: esset ergo duplex diuinitas, nisi relatio in suo proprio conceptu ipsam vnus diuinitatis rationem includeret. Hanc eandem rationem adducimus disp. 119. c. 1. pro sententia eiusdem Canariensis, qui docet, essentiam diuinam pertinere ad conceptum formalem cuiusvis attributi.

Postremo

Quid sit ex natura rei vnū aliter conuenire.

Capreol. 27. Soluitur fundamētū aduersarij ex authoritate Summi Augustini.

Ansel.

Damas.

ligere valeamus, sit, ut quantumuis addamus illud ex natura rei, cum affirmamus communicari aut non communicari, & similia, semper in nostris prædicationibus includatur aliqua distinctio, & ordo rationis, ob quem de eadem re ex natura rei omnino indiuidua, distincta tamen à nobis per intellectum, & per omnia diuersa, alterum affirmare, alterum negare non modo possumus, sed etiam debeamus. Quod si Deum, ut est, nominaremus, & intelligeremus, sicut vno conceptu simplicissimo quidquid est in eo, videremus, sic etiam vno verbo, aut nomine alijs beatis exprimeremus, in quo nulli essent termini contradictorii. Qualis vero esset ista expressio, nunc non possumus magis explicare, satis sit nosse, in ea non esse futuras varias enunciationes, ut prædictum est. Ex diuersis ergo, imo contradictorijs prædicatis, quæ de eadem re simplicissima, Deo videlicet dicuntur, non potest colligi distinctio aliqua ex natura rei, quia in omnibus prædicationibus, quantumuis addatur particula, ex natura rei, vel, realiter, est ordo ad varios conceptus, quos de eadem re simplicissima habemus, de quibus non eadem enunciamus. Cum vero adduntur prædictæ particulae, nihil aliud significare volumus, quam illud, quod re ipsa est, quatenus à nobis pro modulo nostro explicari potest, ita esse enuncians, & concipiendum, ne absurdum aliquod sequatur. Quare inde non tollitur illo modo distinctio rationis, quam omnes illæ propositiones necessario in seipsis includunt. Doctrina hæc colligi potest ex Capreolo in 1. d. 2. quæst. 3. artic. 3. ad 1. cum docet, contradictoria nunquam prædicari de Deo, nisi intellectu nostro operante, qui facit prædicationes: quod late ipse prosequitur.

Ex hac eadem doctrina non solum dilui possunt rationes Gabriels, Durandi, & Gilberti, omnes ducuntur ex varijs prædicationibus, quas de essentia, & relationibus enunciamus: verum etiam ad testimonia Aug. quæ pro se adducit Scotus, responderi: quale est illud 7. de Trinit. c. 2. Quoniam vero & verbum sapientia est, sed non eo verbum quo sapientia: verbum enim relatiue, sapientia vero essentialiter intelligitur: id dici accipiamus, cum dicitur verbum, ac si dicatur nata sapientia, & eodem lib. cap. 4. ubi ait, Aliud est Deo esse, aliud patrem esse: quo pacto loquitur etiam Anselmus lib. de processione Spiritus sancti cap. 2. Dicimus ergo, Ang. & Ansel. solum voluisse assignare distinctionem rationis inter illa, ut ostenderent, alio modo illa significari. Denique quod adducit ex Damasceno, nihil fauet sententiam: concedimus enim, relationem esse modum existendi, non autem notam existentiam, ut disp. 126. dicimus: ob id tamen non putat Damascenus, esse modum essentia realiter ab ea diuersum, nam quamuis ab ea non differat ex natura rei, potest nihilominus concipi, non ut res, sed ut modus essentia. Supererat hic disputare, vtrum relatio, & essentia in Deo differre possint per intellectum creatum solum viatoris, an etiam per diuinam, & Beatorum videntium Deum, sed de hac controuersia idem omnino, quod de attributis diximus disput. 118. asserendum est.